



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1351 usque ad annum 1414

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118278**

§. 53. Ludovicus II Andegavensis Neapolim venit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66293](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66293)

Sæcul. XIV. eodem anno Cajetam delatus; ubi excep-  
 A C. 1390. pit Ladislai juramentum, quo hic firma-  
 bat suum clientis officium ac fidem ob  
 regnum Siculum Bonifacio addictam iis-  
 dem conditionibus, quas antecessores,  
 præsertim Carolus de Pace pater ipse  
 acceperant. Denique spondebat, se an-  
 tipapæ Clementi, aut ejus Cardinalibus  
 nullam laturum opem. Tabulæ factæ  
 sunt 29 Maji an. 1390. Sub idem tem-  
 pus Bonifacius in Siciliam sive Trinacriam  
 Franciscum Episcopum Puteolanum mi-  
 sit cum formula ejurandi schismatis, ut ad  
 præstandam sibi obedientiam reduceret  
 eos, qui tempore Reginæ Joannæ, Caroli  
 de Pace, aut relictæ ab eo viduæ Mar-  
 garitæ a partibus Urbani ad factionem  
 Clementis transferant.

*Vita PP.*

p. 255.

*Rayn. 1389.*

n. 14.

Clemens electionem Bonifacii edo-  
 ctus eum tractavit ut iniquum sacræ se-  
 dis possessorem: quod is vicissim egit:  
 sibi que mutuo censuras irrogabant terri-  
 bilissimas, sed utrimque pariter inutiles.

§. LIII.

*Ludovicus II Andegavensis Neapo-  
 lim venit.*

Mense Junio an. 1390 novus Siciliae  
 Rex Ludovicus II Andegavensis  
 Neapolim versus iter suscepit magno  
 exercitu, & annonæ copia instructus.  
 Cle-

Clemens Confiliarium ei adjunxit Cardi-  
 nale[m] Petrum Turinum, quem etiam  
 suum in illis locis Legatum esse voluit,  
 ut rebelles, ac schismaticos ad officium  
 revocaret. Massiliæ vigesimo demum die  
 Julii, postquam Legatus triremem re-  
 giam, totamque classem solemnem preca-  
 tione profecutus fuerat, mari se Rex com-  
 misit. Neapolim delatus stantes a La-  
 dislao arces geminas, quarum altera  
 Ovum, altera Erasmina vocabatur, ad  
 deditionem subegit, ac urbem Puteolos  
 expugnavit. Papa Bonifacius septima  
 Octobris Ladislao sexcentos equites sub-  
 sidiarios misit, indulgentiam pollicitus iis,  
 qui contra Ludovicum ut antipapæ co-  
 hortium Ducem militarent.

Interim Clemens Avenione, quæ pe-  
 ste flagrabat, Bellicadrum se contulit, ubi  
 17 Octobris duos creavit Cardinales Pres-  
 byteros, quia contagio quosdam sustule-  
 rat. Prior erat Joannes Flandrinus in  
 tractu Vivariensi natus Petri Flandrini,  
 quem Gregorius XI anno 1371 Cardina-  
 lem decreverat, frater, ex Decano Lau-  
 dunensi factus anno memorato Carpen-  
 toractensis Episcopus, ab anno 1379 per  
 Clementem Archiepiscopus Auscitanus,  
 modo Cardinalis de SS. Joanne ac Pau-  
 lo. Alter fuit Petrus Geraldus, qui in  
 Forensi agro, ac dioecesi Lugdunensi or-  
 tus, Juris honores proximos a Doctorum  
 gradu

Sæcul. XIV.]  
 A. C. 1390.

Vitæ p. 525.  
 1351.

Lab. rec. hist.  
 to. 1. p. 648.

Rayn. 1390.  
 n. 17.

Vitæ p. 526.  
 1385. 114.

Sup. l. 97.  
 §. 20.

Sæcul. XIV. gradu adeptus, ex Archidiacono Bituricensi anno 1373 Lutevanus, tum Avenionensis, anno 1384 Aniciensis Episcopus evasit, nunc Cardinalis de S. Petro ad Vincula.

## §. LIV.

*Romæ agitur annus sacer.*

Per totum hunc annum sacrum 1390 Roma magnum videbat concursum peregrinantium ad consequendam indulgentiam, cujus initium a Natali Domini anno priore duci voluerat Urbanus VI in nova sanctione sua. At ex iis tantum regionibus, quæ illum agnoverant Papam, pii venerunt hospites, præsertim ex Germania, Hungaria, Polonia, Bohemia, & Anglia. Dona pretiosa sunt Romanis allata templis, quorum reparationes inde aliquæ fiebant. Sed maxima illorum pars venit in manus Papæ Bonifacii. Quamvis hæc munera grandem vim auri & argenti conficerent, in regiones tamen varias missi ab illo rogatores indulgentiam vendebant iis, qui volebant tantundem solvere, quantum fuisset infumendum in Romanum iter. Sic ingens conflata est pecunia, fuitque provincia quædam, ex qua rogatores plus ducenta florenorum aureorum millia congefferunt. Perhibebant enim se posse condonare peccata

*Th. Niem.*  
*c. 62.*